



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 35. Ministri Ulmenses, exceptis duobus morem gerentibus, custodiæ
dati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI. A.C. 1548. rejicerent, exponunt: interrogati autem, cur non & ipsi imitarentur Augustanos Præcones, qui hoc decretum jurata fide receperunt, ac nihilo fecius libere eorum sectam profitentur, ad hæc responderunt Ulmenses Ministri: (*) *Nobis non constat, quid illi fecerint, neque nostrum est, alieni facti rationem reddere: nos quidem initio, cum ad Ecclesiæ ministerium adhiberemur, fide ipsis data promissimus, quod doctrinam Evangelii pure, ac incorrupte annuntiare velimus, sine traditionibus hominum: si nunc senatus eam rationem non probet, petimus, ut jusjurandum nobis remittat.* His dictis abire jussi sunt.

§. XXXV.

Ministri Ulmenses, exceptis duobus morem gerentibus, custodiæ dati.

Sleid. p. 747. Hisce Ministris post meridiem revocatis nonnulli Deputati hæc significabant: *Captivos vos hodie Cæsar coram se*

(*) Verius respondissent, quod Lutheranz sectæ genium, ac conditio ea sit, ut pro diversa temporis, loci, & privati commodi ratione, ac circumstantiarum vicissitudine sectam suam in præcipuis etiam articulis immutari, diminui, & augeri patiatur.

se sisti jubet, moxque ad ejus traducemini
 palatium, rogate Deum, ut vos spiritu suo
 gubernet. Hi isto nuntio parum territi
 respondunt: quoniam ita visum est Deo,
 non recusamus ullum periculum: his dictis
 bene sibi invicem precabantur. Ergo
 ad palatium deducuntur, ibidemque diu
 expectare coacti, confluyente jam ingenti
 populi multitudine abstrahuntur ad
 Georgii Bessereri Viri consularis ædes,
 in quibus Granvellanus, & Atrebatensis
 Episcopus ejusdem Filii diversabantur,
 qui hosce Ministros ad faniora
 consilia reducere nitebantur, ubi vero
 post crebras altercationes ultro, citroque
 habitas illos ad acceptandum Cæsaris
 edictum inducere desperarent, mox catenis
 vinctos ad publicos carceres deduci jusserunt,
 sub valido Hispanorum, ac Germanorum
 præsidio, quibus Joannes Comes Nassovius
 præerat. Ex hisce Ministris duo sese
 subjecerunt, decretum hoc recipientes.
 Porro cum Frechtus in custodiam abstractus
 domum suam pertransiret, Fratrem suum,
 qui forte per fenestras prospexerat,
 allocutus est, eidemque uxoris suæ,
 ac rei domesticæ curam commendabat,
 cum autem ille Frechtum ad constantiam
 animaret, confestim & ipse in carcerem
 ducebatur. Hæc gesta fuere die decima
 sexta Augusti, captivi

Sæcul XVI.
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI. ptivi autem nonnisi per quadriduum in
A.C. 1548. carcere detenti fuerant, & quinto die,
 quo Cæsar illinc abibat, una omnes
 vinculis soluti curru imponebantur, ac
 circiter ducentis militibus Hispanis sti-
 pati Kirchenum deducebantur, ubi o-
 cto ferme diebus in Alegii Germani
 Belliducis potestate relictis, tandem
 Madronio Hispanorum centurioni in
 custodiam dati sunt. Post hæc Impe-
 rator exeunte Mense Augusto Ulma
 Spiram venit, ibidemque duodecim illa
 belli tormenta recepit, quæ Argenti-
 nenses Cæsari tradere promiserant. E-
 xiguo post temporis spatio Spiræ sub-
 sistens Imperator, Moguntiam conten-
 dit, ubi secundo flumine Rheno vectus
 in inferiorem Germaniam descendit, ac
 Saxoniam Ducem, necnon Hassiæ Land-
 gravium diversis navibus impositos se-
 cum captivos abduxit.

§. XXXVI.

*Diversæ inter Lutheranos factiones
 ex decreto Interim conflata.*

Spond. ad Hæc demum fuere oppositiones, qui-
hunc ann. n. 8. bus decretum *Interim* per univer-
 sam Germaniam impugnabatur: verum
 id ipsum novas insuper dissensiones
 inter ipsos Lutheri sectatores concita-
 bat; nam eorum nonnulli illud acce-
 ptan-